

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Nd. 19

22

AD TIT. ff.

DE VI ET VI ARMATA
ASSERTIONES PARADOXÆ

QUIDEM ET SINGULARES

SED VERÆ,

De quibus

DUCE JEHOVAH,

PRÆSIDE

DN. PETRO FRI-
DERO, MINDANO JC. ILLUSTRIS-

SIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI

LUDOVICI HASSIÆ LANDGRAVII &C.

Consiliario, & in inclyta Acad. Giessena

J.U. Professore ordinario, præcepto-

re suo officiosè colendo,

Publicè respondebit

JOHANNES Grone Mindanus.



GIESSÆ,

Imprimebat CASPARUS CHEMLINUS.

ANNO M. DCX





*SPECTATISSIMIS, VARIARVM-
que rerum prudentia & usu Præstan-
tissimis Viris.*

Dn. JOHANNI Becker/ Illustris. ac Generosiss.
Domini, Dn. ERNESTI, Comitis in Holstein
& Schaumburch &c. Consiliario, cognato,

ET

Dn. JOHANNI Gronen/ Hæreditario in Holste
haussen/ Patrueli.

Dominis, fautoribus ac promotoribus suis

In singulare observantiæ symbolum

offert & consecrat

Johannes Gronen

Resp.



DE VI ET VI ARMATA

THESIS I.

S I (referente Ulp. & ex eod. Tribonia no) Prætor Interdictum unde Vi ita propositum habuit: *Vnde tu illum Vi dejecisti, aut familia tua dejecit, de eo, quæq; ille tunc ibi habuit, tantūmodo intra annū: post, annū de eo, quod ad eum, qui Vi dejecit, pervenerit, iudicium dabo l. 1. ff. hic.*

2. Tamen Infidam vel saltem mancā & temerariam, & plurimis contradictionibus involutam hanc, non Consultissimi Ulp. Sed Triboniani relationem, quin & totam hujus tituli explicationem esse, non modo recentiores Critici, sed & plerique alii Jcti animadverterunt; & certe omnes de summa ac fere inexplicabili, quæ isthinc enata sit difficultate ac confusione conqueruntur.

3. Primo enim tota ista formula sine ulla restitutionis faciendæ clausula vel & mentione non in Unde Vi Interdictum, sed ordinarium aliquod iudicium concepta, & ita fermè concepta est, ut & verborum vel constructionis Latinitas vix constare videatur.

4. Deinde ipsa tituli inscriptio non simplex, quale jam relatum est, sed duplex unde Vi interdictum arguit, ac præ se fert: *De Vi & Vi armata*, seu de Vi privata vel quotidianâ, & publica: quod & leges de utroq; Interdicto confusè quidem, sed diversimodè tamen loquentes, evincunt & Dd. nostri perviderunt.

5: In vim enim quotidianam Interdictum ita con-

ceptum fuisse colligitur: *Vnde tu illum Vi dejecisti, vel familia tua, aut procurator tuus dejecit, cum nec Vi, clam vel precario à te possideret, eo restituas: de eo, quaque ille tunc ibi habuit, intra annum: post annum de eo, quod ad eum, qui Vi dejecit, pervenerit, judicium dabo.*

6. Alterum verò de Vi armata Interdictum ita inscriptum fuit: *Vnde tu hominibus coactis armatisve illum Vi dejecisti, vel familia aut procurator tuus dejecit, eo restituas.*

7. Quod rectissime senserunt, Duar. x. disp. 20. Larom. Thomas Fregi: & alii in orat. Cic. pro A. Cæcin. Menoch. re. cnp. remed. i. in princ. & ante eosdē doctiss. Eguin. Baro in manual 6. h. tit. nisi quod verbis utriusque Interdicti finalibus interferat hanc clausulam: Cum experiundi potestas est, eo restituas.

8. Planissimè etiam & scitissimè Carol. Sigon. de Jur. Rom. i. de judiciis c. 16. sub fin: uti vis, inquit, duplex est, armata, & sine armis: ita & Interdictum de Vi armata fuit: *Unde tu illum Vi dejecisti, eò restituas jubeo: Sine armis: Unde tu illum Vi dejecisti, cum abs te nec Vi, nec clam, nec precario possideret, eò illum restituas jubeo.*

9. Et ista quidem recte & rectissime probantur per insignem, & pro explicatione Interdictorum præ aliis omnibus utilissimam M. T. Cic. orat. pro A. Cæcin: ubi d. utrumque Interdictum hismet ipsis sequentibus verbis explicat.

10. Qui ergo (ait) in quotidianum Interdictum, unde ille me Vi dejecit, additur: cum ego possiderem: nisi dejici nemo potest, qui non possidet? Aut in hoc Interdictum de hominibus armatis non additur? Si oportet quæri, possederit nec ne? Negas dejici, nisi qui possideat: o-

, at: ostendo, si sine armatis coactisve hominibus dejectus
, quisquam sit, eum qui fatetur se dejecisse vincere sponsio-
, nem, si ostendat eum non possedisse.

11. Ex hoc autem (pergit Cic.) Interdicto de armatis
, hominibus, qui possit ostendere, non possedisse eum, qui
, dejectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse est. Si
, fateatur esse dejectum: Dupliciter homines dejiciuntur
, aut sine armatis coactisve hominibus, aut per ejusmodi
, rationem aut vim.

12. Ad duas (id. Cic.) dissimiles res, duo de vineta In-
, terdicta sunt: in illo, de Vi quotidiana, non satis est posse
, docere, se dejectum esse: nisi ostendere possit, cum possi-
, deret tum dejectum: ne id quidem satis est, nisi doceat
, ita se possedisse, ut nec Vi, nec clam, nec precario
, possederit: Idque is, qui se restituisse dixit, ma-
, gna voce saepe confiteri solet: se Vi dejecisse: Ve-
, rùm illud addit; non possidebat: Vel etiam, cum
, hoc concessit, vincit tamen sponsione, si planum fa-
, cit, ab se illum aut Vi aut clam aut precario posse-
, disse.

13. Videtisne (itid. Cic.) quod defensionibus eum,
, qui sine armis, ac multitudine vim fecerit, uti posse ma-
, jores voluerunt; Hunc vero, qui ab jure, officio, bonis
, moribus, ad ferrum, ad arma, ad cædem, confugerit
, nudum in causa destitutumque videtis: ut qui armatus,
, de possessione contendisset, inermis planè de possessione
, certaret: Ecquid igitur interest, Piso, inter hæc Interdi-
, cta? Ecquid interest, utrum hoc additum: Cum A. Cæcin-
, na possederit nec ne? Ecquid te ratio Juris? Ecquid Inter-
, dictorū dissimilitudo? Ecquid autoritas majoru cōmoveret?
Ita cit. Quibus omnibus, ut elegātissimè, ita & nervosissime

utriusque Interdicti differentia describitur & inculcatur.

14. Eaque tertio differentia, Vivis & urgentissimis quæ sequuntur rationibus ita comprobatur, & adhuc proinde cautissimè retinenda est, ut sine ea, & sine recto utriusque & quidem, ut Cic. ait, dissimillimi Interdicti Intellectu inexplicabiles antinomias admittamus.

15. Primo enim Interdictum quotidianum, ut Cic. vocat seu de Vi privata, nulli competeat, nisi ei, qui tunc cum deiceretur possideret, neque alius deici visus est, quàm qui possidet. *d. orat. § Vlp. l. 1. § Interdictum 23. ff. de Vi § Vi arm. & § non alii 45. ibid.*

16. Eaque exceptio, quod dejectus possidisset, nominatim addi solebat Interdicto. *Ibid.*

17. Interdictum vero de hominibus coactis armatisve sine ulla exceptione datur: Ideoque & creditori in possessionem misso & colono datur, *l. Colonus 12. l. cum fundum 18. ibi: Emptorem quoque, qui postea vim adhibuit § ipsum Interdicto colono teneri.*

18. Cujusmodi text. de sola Vi arm. intelligendi: quãdo quidem Vi quotidiana dejectis Colonis vel Inquilino Interdictum quotidianum non datur, sed ipsi domino, *text. l. fin. ff. hic.*

19. Quamvis hæc exceptio (respectu eorum, qui tempore dejectionis non possidissent) non tantum de iis accipiebatur, qui alieno nomine sunt in possessione, & non sibi, sed illi (a quo se dejectos esse vel turbatos queruntur) possident: veluti de Colono, inquilino, commodatario &c.

20. Sed etiam de violentis, clandestinis & precariis detentatoribus, qui possessionem Domino intervertere, sibi que habere moliuntur *l. fin. C. unde vi. l. infr. C. si per vim.*

21. Quin tertio & illum tempore dejectionis non possi-

possedisse interpretabantur, qui corpore absens soloque animo possidens deiciebatur.

22. Ubi & isthæc quartò sed calumniosa Interpretatio Ciceroni movebatur, quasi non possedisse, nec proinde dejectus videretur, qui nō ex ipso fundo controverso expulsus, sed ad eum contendens in vicinis fundis præclusâ quantumvis armatis hominibus viâ, saltem ingredi prohiberetur.

23. Quas duas proximas Interpretat. non tantum Cic. in d. orat. elegantissimè diluit: sed postmodum quoq; ab ipsis Jctis in explicatione hujus Interdicti. tanquam cavillatorix sunt exclusæ.

24. Sive enim corpore, (inquit Ulp. iisdem ferè cum Cic. verbis) Sive animo possidens quis dejectus est, palam est eum Vi dejectum videri: Ideoque si quis de agro suo, vel de domo processisset nemine suorum relicto mox revertens prohibitus sit ingredi ipsum prædium: vel si quis eum in medio itinere detinuerit, & ipse possederit, Vi dejectus videtur: ad emisti enim ei possessionem, quam animo retinebat, etsi non corpore §. 24. d. l. i. hîc, & egregiè, etiam Imp. §. possidere 5. Instit. de Interd.

25. Secunda differentia ex d. duab. prioribus non possidentium significatibus orta & profecta, ea erat: quod Interdictum quotidianum, et tantum detur, qui nec Vi, clam vel precario possidet ab adversario suo: Vel etsi detur cum exceptione detur, ni Vi, clam, vel precario d. orat.

26. Qui enim Vi, clam, vel precario possidet ab adversario suo, impunè deicitur ibid. & Paul. 5. Sentent. 6. §. qui Vi, & Ulp. d. l. i. §. 30. Qui à me Vi possidebat, si ab alio deiciatur, habet Interdictum. Quasi dicat secus esse, si à me ipso deiciatur.

27. Quomodo & uti possidetis & alia retinendæ Interdicta

dictaeandem exceptionem habent l. i. ff. uti possid. Neque solet praetor, si sciat, ita possidentibus auctoritatem suam accommodare l. auctoritatem 3. C. unde vi.

28. De vi autem armata Interdictum hanc exceptionem non admittit, sed ei quoque datur, qui Vi, clam, vel precario possidens ab adversario suo dejectus est, l. sed si Vi armata dejectus es, ipsum fundum recipis, etiamsi Vi, clam aut precario possideres. 14. Et l. cum fundum sub fin. ibi: Si voluntate venditoris emptor, colonum postea Vi expulisset: dixi non esse iuvandum, qui mandatum illicitum suscepit.

29. Et Imp. ipse §. recup. 6. Inst. hic dicit Interdictum unde Vi ei propositum esse, qui possessione fundi, vel aedium Vi dejectus est, per quod is, qui deiecit, cogitur ei restituere possessionem, licet is ab eo, qui Vi deiecit, Vi, clam, vel precario possideat.

30. Quod etiā satis eleganter Paraphraustes: Theophilus Recuperandæ, inquit, possessionis Interdictū unde Vi dicitur, quod occasione possessionis spoliata competit: quanquam eam a spoliante, Vi, clam vel precario ex intervallo tamen, possideas.

31. Quem utrumque, tam D. Imp. quam elegantissimi Interpret. textum de vis armatae Interdicto loqui & intelligendum esse, rectissime affirmat Duar. d. disp. 20. Sed & manifeste arguit Theoph. dum d. Verb. finalib. addit d. clausulam: ex intervallo tamen.

32. Quippe quod Vi armata dejectus, possit illicò adversarium suum eadem iterum Vi expellere; ubi sane in vafori ita incontinenti, quantumvis Vi armata expulso, Interdictum denegari, ut Theoph. innuit, & apertissimè docet, Vlp. in l. quod est 3. §. 9. cum igitur, qui cum armis venit possumus armis repellere, sed hoc confestim, non ex intervallo, dummodo sciamus, non solum resistere permisum ne deiciatur, sed et si dejectus quis fuerit, eundem de-
jicere

jicere non ex intervallo (quæ verba Theoph. assumpsit)
sed in continenti h. t. de Vi & Vi arm.

33. Tertia ponitur differentia, quod Interdictum
quotidianum annuum sit *d. l. 1. in pr. §. annus in hoc Inter-*
dicto utilis est 39. ibid. l. in honorariis 35. ff. de O. & A. l. Vi pulso. 2.
C. unde Vil. licet 5. C. de except & præscript.

34. Interdictum autem de Vi armata, etiam post
annum datur & perpetuum est, non tantum ratione ejus,
quod ad quem pervenit, *d. l. 1. in pr. l. semper is. §. 3. ff. quod*
Vi aut clam & per ea quæ passim: sed etiam ratione ipsius
Interdicti, d. l. 3. §. hoc Interdictum 12. l. communi 7. §. Julianus
5. ff. com. divid. Cujac. 5. obs. 20.

35. Unde & Cic. 15. famil. epist. 15. ad Cai. Cassium,
qui stolidissimæ Epicureorum sectæ sese dederat: *Si enim*
(scribit iocando) stomachabere, & molestè feres, plura dicemus: po-
stulabimusq; ex qua heresi, Vi hominibus armatis dejectus sit, in
eam restituare: In hoc Interdicto non solet addi, in hoc anno: Qua-
re, si jam biennium aut triennium est, cum virtuti nuncium misi-
sti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit.

36. Quemadmodum & idem Cicero ad præceden-
tem exceptionem alludit lib. 7. fam. ad Trebat. Neque est, a-
it, *quod illam exceptionem pertimescas, quod tu prior cum armatis*
hominibus veneris: scio enim te non esse procacem in laceffendo.

37. Quartam differentiam suggerit Ulp. in *d. l. 1. §.*
Interdictum 12. cum enim ibi scribat, quod de Vi armata In-
terdictum adversus eum quoque detur; qui dolo malo fe-
cit, quo quis armis deiceretur; Ergo aliam esse rationem
Interdicti quotidiani, sequitur *per l. 1. ff. de his qui sunt sui vel*
alien. jur.

38. Quin & quintam differentiam proponit hanc;
quod Interdictum quotidianum liberis in parentes, liber-
tis in patronum, & proinde subditis in magistratum non
B detur

detur, sed melius esse scribit, in factum actionem eis com-
petere. At vero, si Vi armata usus sit adversus libertū patro-
nus, vel adversus liberos parens, hīc Interdictum compete-
re d. l. 1. §. hoc Interd. 43.

39. Quamvis & manifestissima ibidem contineatur
verborum & sensus contradictio, in eo, quod Ulp. vel poti-
us, isto corrupto, Tribon: ea re Interdictum hoc liberis in
parentes &c. non dari, scribit, quod atrocitatem facinoris
in se contineat: & tamen de Vi armata Interdictum con-
cedat, licet hoc omnium maxime atrocitatem facinoris
habeat: Deinde & altera contradictio est: quod prius illud,
de quotidiano Interdicto accipi nequeat, cum vis quotidi-
ana atrocitatem facinoris non contineat: per ea, quæ postea
dicemus.

40. Quorum omnium consideratione, valde sanè
demirandum, sed & culpandum videtur: quod Trib. h.
Tit. quin imò ipse Imp. Justin. d. §. recup. Instit. tam confu-
sè & indistinctè utrumque Interdictum confuderint; ut
fortassis rectè, quamvis audacter Cujac. ad Paul: Sent. d. t. 6.
Justinianum (nedum Tribon.) dicat, ejusmodi differenti-
as, aut neglexisse, aut non intellexisse.

41. Quod postremum, cum valde durum, sed & ab-
surdum & arrogans sit: quasi vero Just. Imp. cum suis lau-
datissimis JCtis Romanas leges, quarum volumina à nobis
desiderata manibus premebant, & in quarum, uti & in S.
Rom. Imperii possessionem venerant, non tam probe atque
nostri Critici intellexerint.

42. Rectius illi faciūt, qui quod & Clar. Domin. Cu-
jac ita existimasse censemus, D. Justin. eas differentias non
modo neglexisse, sed & d. §. recuperandæ tacitè sustulisse,
putant Robert. Aurel. 3. sent. c. 20. Menoch. recup. remed. 1. n. 7. &
q. q. Wesemb. in parat. hic n. 7.

43. Quia

43. Quia enim privata etiam violentia, in tanta morum depravatione, qua indies sub August. crevit, magis magisque invalesceret, placuit tandem, quemcunque violenter spoliatum ante omnia restitui, nullo habito respectu, iusta fuerit possessio, nec ne, vel an Vi, clam, vel precario ab adversario suo possederit; is qui de jicretur; ita Wesemb. d. loc.

44. Quemadmodum & nunc utrumque, sed ita ad unam speciem redactum Interdictum perpetuo, h. e. ad 30. annos dari, communis est sententia per. l. fin. C. unde Vi l. 1. C. si per vim. Quae utraque leges, cum sint constitutiones Imp. Justin. iisdem d. l. Vi pulsos C. unde Vi & d. l. 5. C. de praescript. (quae utraque sunt Dioclet. & Maxim & annum saltem utilem, unde Vi Interdicto largiuntur) sublatas esse, consequitur.

45. At vero, cum penitus omnia consideramus, neque magnum Trib. crimen vel errorem, neque ullam D. Imp. negligentiam vel ignorantiam, sed neque & tantam, qualis fingitur, Juris vel difficultatem vel mutationem deprahedimus, ita, ut nos potius veram, & Ulp & Just. tum & Tribon. mentem, vel non intelligere, vel certe negligere videamur.

46. Quod ut intelligamus, ante omnia hic nobis explicandum, quid nimirum utraque vis, quae a. Cic. quotidiana, & deinde ad eodem, & sub hoc tit. armata vocatur, sit, quomodo utraque differat, & an adhuc eadem, quae olim, utriusque sit ratio.

47. Sicuti igitur vis duplex est: *Privata & Publica* pertit. ff. & C. de vi pub. & priv. Ita subdistinguendo, haec iterum, *vel armata, vel inermis*: & illa, *vel quotidiana, vel atrox, seu, qualitercunque contra bonos mores est.*

48. Jam, quoad unde Vi Interdictum, vis armata latissimè sumitur, omnes d. species comprehendens, excepta

Vi quotidiana; cui certa ratione opponitur, per text. in l. 1. §. 2. ff. hic. Ubi Ulp. de tali vi Imp. loqui ait, de qua & legibus Juliis prospiciatur publicor. & privatorum iudiciorū, nec non & constitutionibus principum) scilicet l. exstat, ff. quod met. causa. l. credit. ff. de Vi pub.) & d. l. 1. §. 3. Hoc a Interd. ait Ulp. non ad omnem (quotidianam scilicet.) Vim pertinet, verum ad eos, qui possessione deiciuntur, & ad solam atrocem vim pertinet, & quæ contra bonos mores: & §. 27. & seqq. §. Interd. hoc, quod atrocitatem facinoris 43. ibid. l. 3. d. tit.

49. De Vi enim quotidiana loqui prætor non potest: quod uti olim, ita adhuc hodie, Vi quotidiana, id fieri dicitur, quod jure permittente propria autoritate facti aliqua Vi fieri permittitur, circa reformationem possessionis & rei suæ.

50. Quod ipsa quoque verbi potestas suggerit, cum nulla vis alia & quotidiana vocari, & d. exceptione, ni Vi, elā, v. l. precario, tum ab ipso prætore defendi unquam solita sit, vel & defendi possit, nisi talis & ejusmodi, quæ juris habeat favorem & permissionem.

51. Hinc, cum Colonus & Inquilinus noster &c. non sibi sed nobis possideat, nostroque nomine sint in possessione: ita ut finito locationis tempore ad jussum nostrum emigrare teneantur: adeò, ut eos resistentes vel possessionem nostram injustius detinere volentes Prætor non tueatur, d. l. 1. ff. uti poss. l. 1. in pr. & §. 29. ff. de aq. quotid. & estiv. l. 1. ff. de div. l. 1. ff. de furt. l. 3. C. unde Vi.

52. Consequens, & ab ipsa lege permissum est eiusmodi iniquos detentatores potius quam possessores notariè, injustos justè destituere, usque propria autoritate via facti, & vi sed quotidianâ, expulsis, possessionem nostram recuperare vel potius asserere & tueri per ead. & l. non abs re 10.

C. un-

Cunde Vid. l. Colonus. 12. l. cum fundum 18. ff. hic. igitur ff. quod Vi aut l. 2. C. de jure Emphyt. & c. Tiraq. l. si unquam, verb. revertatur, num. 276. C. de revoc. donat. Contard. de moment. poss. quast. 15. num. 17.

53. Per vim quotidianam hinc, non tantum ejusmodi expulsionem intelligendo, quæ fiat vel asperis verbis, aut comminatione legitima, sed & tolerabili expulsionem, suppellectilis expositione, ingressu, occupatione vel concessione cum familia forte aut servis; etiamsi id clam vel astu fiat; ita per easdem & similes leges gl. & Dd. ad l. Creditor ff. de furt. & ad l. creditores 3. C. de pignorib. Menoch. adipisc. remed. q. 12. & recup. rem. 15. n. 70. Tiraq. de const. poss. p. 1. n. 38. Dombed. 2. conf. 18. n. 8. & c.

54. Quæ tamen omnia ita moderanda sunt, ut ne quid extra casus in jure permittos. (de quib. alibi). tum contra bonos mores in LL. Julias de Vi pub. & priv. admittatur per d. l. 1. d. §. recuperanda & per alia quæ supr. Cic. d. orat. text. elegans l. si alicujus 7. §. bellissime ff. quod Vi aut clam.

55. Veluti solet fieri, si ejusmodi detentatores, prædones, invasores violentius resistent, & possessionem domino intervertere, sibi que habere moliantur & prætentant: Sic enim possidere incipiunt, & proinde resistentes non tumultibus, nedum armis, sed officio judicis, ejusque potius interdicto expellendi sunt per ead. & l. nemo, ibi: interpellatione & controversia progressa intelligi eum possessorem C. de acq. poss.

56. Eoque nomine Colono, etsi alias non ipse, sed Dominus interdictum habeat, l. 1. §. 1. l. fin. ff. hic adversus emptorem à domino missum, tam interdictum quam facti resistentia indulgetur l. Colonus 12. l. 18. ff. cod. ubi gl. & Dd.

57. Quanto ergo minus, alienas quantumvis absentium, nedum presentium possessiones de facto invadere & occupare licet: invitis possessoribus: quib. sane interdicto

succurritur, quocunque modo, dejiciantur *d.l.1.C. si per vim l. clam. §. qui ad nundinas ff. de acq. poss. & per alia quæ supra.*

58. Quia vero vis publica, & privata multis modis fieri dicitur per ea, quæ Dd. sub istis tit. heic, pro Interdicti nostri qualitate, de Vi saltē expulsiva, & tali quidem agi sciendum est, quæ contra bonos mores, h. est, contra Juris & prætoris judicii que præscriptum fiat: & isthinc ad tuendam, cum popularium quietem, tum juris, prætoris & judicii auctoritatem, illicò reformanda venit.

59. *Vis igitur publica expulsiva est & fieri dicitur, si quis aliquem armis possessione sua dejiciat; & sunt arma, omnis generis tela, hoc est, & fustes & lapides, non solum gladii, haste, frameæ vel romphea, text. sing. l. 3. §. fin. l. armatos. 9. l. pen. ff. de Vi pub. l. 3. §. armis 2. ff. de Vi & Vi arm.*

60. Nihilque refert, sive coadunatis hominibus quis venerit vel dejecerit: de quo dubium non est, sive solus per unum forte servum per *l. si quis 5. ff. de Vi priv. d.l.1. §. 2. & seq. & §. 17. d. l. 3. §. 3.* Plane si unus vel alter fustem vel gladium tenuit, armis dejectus possessor videtur, eod.

61. Quin etsi inermes qui venerant, in ipsa concertatione eò processerunt, ut fustes aut lapides sumerent: Vis est armata, *d.l. 3. §. plus dicitur 4.* Quomodo & qui armati venerunt, etsi armis nō sunt usi ad dejiciendum sed dejecerunt, armata vis facta esse videtur: sufficit enim terror armorum, ut videantur armis dejecisse *§. 5. ibid.*

62. Si quis etiam convocatis hominibus vim faciat, quo quis verberetur, & pulsetur, etiamsi nec homo occisus; neque ad arma aliàs progressum fuerit, tamen vis publica facta intelligitur *l. qui dolo 10. §. pen. ff. de vi pub. l. 2. ff. de Vi priv.* ad quam male à Tribon. relata est, nisi dicamus Ulp. & Scævola hac in parte dissensisse, &c.

63. Inquam & eum incidere putamus, qui vel solus
aliquem

aliquem pulsando & verberando possessione dejecit *arg. l. nec interest 3. §. 1. sed Vi nulli Convocati nullique pulsati sunt: de Vi priv.*

64. Nedum vero eum, qui vel cum turba vel & solus ædes & villas alterius expilaverit, effregerit, expugnaverit *l. pen. ff. de Vi pub.*

65. E contra igitur: *Vis privata hic intelligitur, si quis aliquem possessione dejecerit sine armis & pulsatione nihilque refert, nullis convocatis hoc fecerit d. l. 3. §. sed si nulli: sive hominibus congregatis fecerit, Vlp. l. si quis s. de Vi priv.*

66. Cæterum sive armata sive privata vis intercessit, eam atrocem, hoc est, talem esse oportet, qua cedere quis cogatur possessione adversario eandem occupanti *d. l. 1. §. 3. d. l. 3. §. 5. hoc tit.*

67. Hinc etsi metu quis perterritus fugerit, vel & fugatus sit: supervenientibus quibusdam, dejectus omnino videbitur: si illi possessionem occupaverint, vel redire volentem non admiserint, *d. l. 1. §. sive 24. & §. idem d. l. 3. §. 7.*

68. Siquidem enim præter ullam possessionis occupationem admittant; ob solam ejus fugam Interdictum non dabitur, etiamsi forte quid abreptum sit per *d. l. 3. §. 6. & seq.*

69. Eandem ob causam, si quis me Vi dejecerit, meos non dejecerit, non potero hoc Interdicto experiri: quia per eos retineo possessionem, qui dejecti non sunt *d. l. 1. §. non alii 45.*

70. Sed enim, si dejector, cum me vel & servos quosdam vi depulisset, possessionem ingressus alios retinuit aut vinxit, aut etiam eis imperavit: Vi me dejectum intelligi certum est: desii enim possidere, cum servi ab alio possidentur. Quemadmodum & possessione dejectus videtur, qui in eadem ab adversario vinctus est, vel ad opus faciendum
cogi-

cogitur d.l.1. §. idem. 46. & pen.

71. His n. & similibus casibus etsi vis' expulsiva nō intercessit, quæ restitutionem desiderat, quo ad reformandam quasi possessionem libertatis, & ad expellendum invasorem cum restitutione omnis causæ: ubi ratione ipsius prædii, ne ab illo ulterius dejiciaris, uti possid. Interd. utilissimè cumulabitur: per ead.

72. Quo pertinet etiam, si quis non sinat possidentem, ea, quæ possidebat, uti arbitrio suo inferendo, arando, demetendo fructus, qui fortasse percipiuntur, colligendo &c. his enim casibus interdicit. uti possidet, utilissimum est, non modo ad tuendum, sed etiam ad præcepta restituendum per hujus Interdicti mixtionem accommodabile.

73. Non modo quoad fruges vel alia, quæ solo coheræntia refecta allataque sunt, de quibus nullum dubium *text. notab. d.l.1. §. 4. ibi: de re solo coherænti objiciuntur hic, sed etiam quoad alia mobilia; quorum respectu de possessione dejectus videris per text. itid. notas in d.l.1. §. si fundus 32. ibi: res quæ vi ablatae sunt l. sed si vi arm. 14. in fin. eod.*

74. Denique sive clam sive precario sive quacunque facti violentia alterius; vel præsentis vel absentis formata ceu habita possessio occupatur, turbatur, spoliatur sine armis, vis privata est, quæ & ipsa celerem interdicti reformationem exposcit *l. si Vi me dejeceris aut clam feceris 15. & arg. l. sed si vi armata 14. hoc Tit. d.l.1. C. si per vim.*

75. Etsi enim de precario singulare interdictum, existat: tamen, si precario, vel quo alio locatorio titulo fundum habentes veluti conductor colonus &c. possessionem intervertere, sibiq; habere instituant hoc interdicto (quod alternative & respective remedio retinendo cumulari poterit) ad restituendum compellendi veniunt.

76. Quippe, quod sola illa interversione ac retentione
one

one vim privatam facere, spoliare, & possessione dejicere
censeantur per eadem & text. l. 12. l. conductores. l. si quis con-
ductionis ubi Bald. n. 2. C. locat. l. fin. C. unde Vi Alex. 6. cons. 33. n. 2.
Gail. 2. obs. 75. n. 1.

77. Ita subditi dicuntur spoliare dominum quasi
possessione jurisdictionis, si prorsus recusent obedire text.
C. present. de test. in sexto Panor. c. querelam 3. notas de Elect. &
c. suborta. ubi & Innocent. eod.

78. Denique in omnibus præstationibus jurium in-
corporalium dicitur quis spoliare, simul ac pensionem vel
servitia præstari solita solvere aut præstare recusat, eo ani-
mo, quod in posterum nolit solvere aut servare per ead. In-
nocent. & Hostiens. d. c. querelam Bald. c. 1. n. 1. de controvers. inter
Episcop. & Vasall. Modestin. Pist. 2. cons. 6. n. 39.

79. Et ea quidem omnia, quod scilicet omnis vis,
tam privata qualiscunque (excepta quotidiana seu ea, quæ
jure fit permittente) quam publica hoc Interdicto compre-
hendatur evidentissimis, præterea, quæ diximus Impera-
tor: constitutionib. declaratur, l. 1. 2. & text. sing. l. 4. 5. 6. 8. C.
unde Vi d. l. 1. C. si per vim.

80. Denique hoc probat d. l. exstat ff. quod met. causa l.
credit. ff. de Vi privat. l. credit. C. de pignor. l. nullus C. de judeis ubi
Arcad. & Honor. Imp. laudabiliter rescripserunt, quod ideo
vigor publici juris in medio positus sit, ut nemo sibi ipsi va-
leat permittere ultionem. Et Imp. Frideric. Tit. de pace
constant. Si quis, inquit, aliquod jus de quacunque re vel facto
contra aliquem se habere putaverit, judicalem adeat potestatem
& per eam jus sibi consequens exequatur.

81. His ita & verè quidem præmissis, facillimum
est respondere iis, quæ supra mota sunt: Et si enim tempore
Ciceronis, ut d. ejus oratio arguit, duplex sorte Interdictum
propositum fuit; Tamen considerandum est, quod non

C

modò

modo sequentes prætoris formulas illas mutare potuerint, sicuti nec se alter ad alterius forte prioris verba astringebat.

82. Sed quod etiam Interdicta, tam restitutoria, quàm inhibitoria diversimodè concepta fuerint: modo impersonaliter, ut in flumine publico ripave ejus quid facere vel immittere, quo aqua aliter fluat, vim fieri veto *l. 1. in pr. ne quid in flum. pub.* ut quod in flumine publico factum habes &c. restituas *ibid. §. pen. l. 1. de flum. vel.* per verb. interdicam: veluti ut per lacum, fossam, stagnum publicum navigare liceat, interdicam *l. 1. in fin. pr. ut in flum. pub. interdictum deb. l. 2. ne quid in loc. pub. vel decreto comprehendam l. 1. de tab. exhib. vel per verb. iudicium dabo l. 1. ff. ne vis fiat ei, qui in poss. mis. l. 1. ff. hic &c.*

83. Cum enim Interdicta actionibus etiam & judiciis peragantur, nihil continet absurdi, si uti actiones aliquando nominantur, ita & per iudicii dationem proponantur, cum clausula, iudicium dabo & interdictum hic omnibus suis circumstantiis comprehendat, & tam ipsius iudicii, quam styli & mentis prætoris respectu, quam juxta perpetuam hujus interdicti vel iudicii rationem plenissimam restitutionem secum ferat.

84. Deinde constat, quod non modo in utroque de Vi tam armata quam quotidiana Interdicto nonnulla superstitiosa, & cum primis, respectu ejus qui non possidere, nec de loco controverto, sed qui loco vicino dejectus dicebatur à tempore Ciceronis mutata sint; ut inde tanto facilis & formularum mutationem factam esse præsumatur.

85. Sed quod etiam illud de vi quotidiana Interdictum non tam v. interdicti, quam exceptionis de interdicto competentis rationem habuerit & adhuc jam habeat.

86. Cum enim detentatores vi, clam, aut precario possidentes etiam si vere & legitimè vi quotidiana de jiciantur:

tur:

tur: nihilominus de iniustitia dejectionis sepe queratur, petentes inter dictum: Iccircoprator, qui nemini officii sui & juris auxilium denegat, interdictum quidem dat, sed nisi vis atrocior vel armata facta est, cum expressa vel tacita clausula Ni Vi, clam aut precario possederit.

87. Qualis exceptio, quatenus vis saltē quotidiana allegatur neq; de armata vel atrocior & iniusta docetur, adhuc jam locum habet & tam parum abrogata, vel cum vero hoc interdicto confusa est, quam parum legitimæ proprii facti defensiones abrogatæ inveniuntur.

88. In tantum, ut de consuetudine in vero etiam de vi atroce interdicto, admittatur, si modo in continenti probetur, per ea, quæ comm. DD. salva publicorum & privatorum l. Iulix iudiciorum disciplinâ.

89. Ex quibus omnibus perspicere est: quod Tribon. in d. hujus Tit: Rubrica vel inscriptione eam ob causam duplicis vis rectissime meminerit, ut scilicet indicaret, vim non tantum armatam, sed & privatam, quæ atrox vel contra bonos mores esset, in hoc Interdictum incidere, tum ut præterea quoad vim quotidianam de d. exceptione obiter moneret, tum quod & talem inscriptionem apud alios JCtos, dictamque exceptionem in quibusdam legibus relatam, invenit.

90. Cæterum relatas tertio differentias quod attinet: primo adhuc hodie nulli dantur recuperandæ vel & retinendæ possessionis interdicta, nisi eis, qui de vera possessione sua vel ablata vel retinenda doceant, eamve saltem verisimiliter allegent, per text. express. d. l. 1. §. 23. § 42. ff. h. tit.

91. Eaque in re, quoad dictam antiquitatis causam, de qua Cic. d. orat. nihil immutatū est, nisi quod rejecta vana ista quorundam hominum opinione, quam tertio & quarto loco retulimus, decisum sit dejectos videri; & illos, quibus absentibus, vel ad sua redire volentibus

possessio, quam animo retinebant, sibi que habebant, Vi
præoccupatur vel præcluditur, d. orat. § d. l. 1. §. 24. § d. §. re-
cup. Instit. de Interd.

92. Quo ad cætera vero ad d. primam differentiam
allata præter nomen quotidiani, de quo Cic. Interdicti (ut-
pote quod in Vi quotidiana, exceptis saltem loco absumi-
tur) immutatum videmus, sed rectum saltem intellectum
desideramus.

93. Uti enim olim, ita adhuc hodie interdictum non
tantum de Vi armata vel convocatis hominibus publica,
sed & privata atrocior, vel quæ resistentibus possessoribus
sive detentatoribus cum pugna & tumultu contra bonos
mores fit sine exceptione datur, quod rectissime & scitissi-
me, tum plus quam scientissime, post Ulp. & fidissimas ex
eodem relationes Tribonianus & optimus Imp. ind. §. re-
cup. declaravit.

94. Dicta in vi quotidiana, ni vi, clam, vel precario
& adversarii sui nomine in possessione fuerit is, qui se de-
jectum queritur adhuc semper & omnimoda salva.

95. Quomodo eadem, qua olim, ratione adhuc jam
Colonis, Inquilinis, & similibus à tertio aliquo turbatis vel
dejectis, non tam ipsis (nisi utiliter) quam dominis, quorum
nomine sunt in possessione, & in quorum cum primis forte
præjudicium dejectio tendit, Interdictum datur d. l. fin.

96. Quod secus se habet, si ab ipso domino, ejusve
nomine dejiciantur, cum sibi ex hisce vel aliis causis posses-
sionem quantum vis domino interversam tenerent & de-
fenderent, sic enim & illis ipsis, & olim & hodie interdictum
datur, quod dejectio contra bonos mores facta videatur d. l.
12. § l. 18. hic.

97. Atque ex his facillima evadit resolutio d. secun-
dæ differentiæ, quod scilicet d. exceptio Ni vi, clam, vel pre-
cario

cario dejectus possederit tam hodie quam olim in vi saltem quotidiana locum habeat, & de ea sit intelligenda *d.l.1. §.30. Paul.8. sent.6. §. qui Vi.*

98. Alia existente ratione, si vi armata vel atroci, aut contra bonos mores dejectio facta sit, ea enim illico sine exceptione est reformanda ad tuendam publicam quietis politicæ, iudicii, & prætoris auctoritatem: *d. §. recuperanda.*

99. Sed nec d. tertia differentia sibi constat. Ut enim (salvâ saltem d. vis quotidianæ exceptione) unum & simplex in vim tam privatam atrocem vel injustam, quam publicam & armatam interdictum, unde vi conceptum & propositum est: ita & illud regulariter ex jure tam ff. quam C. annum est, quod intra annum à facta dejectione utilis reddendum veniat *d.l.1. in pr. §. annus 30. hic l. in honorariis 35. ff. de O. & A. d.l. vi pulsos. 2. C. unde Vi l. 5. C. de except. §. præscri.*

100. Cujus sententiæ & illa viva est ratio, quod regulariter omnia Interdicta, tam olim, quam hodie intra annum, utilem reddantur: nisi quod ratione persecutionis, de eo, quod ad quem pervenit etiam post annum competant *text. in l. 1. §. fin. §. l. 4 ff. de Interd.*

101. Et regulam istam in hoc quoque Interdicto adhuc jam obtinere vel isthinc probatur; quod respectu hujus Interdicti ea nullibi mutata inveniatur & ita sine ulla mutatione stare adhuc præsumatur *l. sancimus C. de testam.*

102. Et hoc quidem tanto magis, quod Interdictum hoc annum esse, & manere non tantum à Dioclet. & Maxim. rescriptum & repetitum est, sed quod istæ eorundem constitutiones ab ipso etiam Imp. Justin. ad perpetuam eorundem observantiam in Cod. relatæ exstant, *d.l. vi pulsos. d. l. licet.*

103. Neque obstant, quæ supra in contrarium & allata esse & facere videntur. Nam *d.l. communi. 7. §. Julian. ff.*

com. divid. d. l. 15. §. 3. ff. quod vi d. l. 3. §. hoc Interd. 12. h. tit. &c.
præcipue loquuntur de eo, quod ad hæredes vel successores pervenit, quod & in omnibus ferè interdictis passim inculcatur.

104. Ubi importunam Cujacii conjecturam lib. 15. ob. 2. dicentis *d. l. 3. §. in id 13.* à Triboniano verbis Ulp. intrusum esse non possumus non improbare, cum à mala & erronea Paragraphorum distinctione, quam librarii fecerunt ejusmodi illatio non procedat.

105. Præsertim, quod ipse contextus cum formula Interdicti *d. l. 1. in pr. relata evincat d. §. precedent. 12. ita legendum esse:* Hoc interdictum etiam adversus eum proponitur, qui dolo malo fecit, quo quis armis dejiceretur, & post annum reddetur in id, quod pervenit ad eum, qui prohibuit. Reliqua vero, quæ sequuntur *ad d. §. 13.* referenda sunt.

106. Neque obstant ea, quæ ex epist. Cic. vel *§. ex d. l. fin. C. unde Vi §. d. l. 1. C. si per vim sunt allegata.* Nam quod Cicero de biennio & triennio scribit, intra quod vi armata dejectos agere posse ex interdicto intendit, ex populari potius consuetudine vel intellectu (non secus ac cætera illa, quæ postmodum ratione illorum, qui non possedisse putabantur, declarata & rejecta diximus) quam mente interdicti profectum videtur.

107. Etsi enim, dicit Cic. formulæ de vi armata Interdicti suo tempore non adjecta fuisse, verba; intra annum: tamen hoc postmodum restitutum fuisse, cum ex relatione Ulp. tum d. Dioclet. & Maxim. constitutionibus tum inde apparet, quod tam ceteris, ut dixi, quam huic interdicto, annus regulariter præfinitus sit.

108. Deinde posito, ex mente Interdicti vel vera Jctorum interpretatione Ciceronem loqui: tamen & sic
nostra

nostra sententia confirmatur, quod scilicet & hoc ipsum interdictum regulariter annum sit, post annum vero, respectu rei persecutionis, vel ex justa causa, sed & ita competere, ut non nimis diu differatur, sed quam primum, & intra biennium, vel, pro summo, triennium instituat.

109. Unde & eorum confutatur opinio, qui dicunt Interdictum hoc ad triginta annos usque dari, quod d. legib. manifestè contrarium est: & d. l. fin. C. unde vi & l. i. Cod. si per vim, confutatur, ubi in absentia dejectus statim & illico, simul ac redit, agere jubetur, eo quod de triginta annorum præscriptione ibid. dicitur, de defensione rei conventi Intelligendo.

110. Quarta, quæ allata est, differentia ex iisdem, quæ supra, tollitur: Cum unum sit unde vi Interdictum, quod atrocitatem facti habet, quemadmodum & id, quod d. l. i. §. 12. dicitur, unde vi Interdictum adversus eum quoque dari, qui dolo malo fecit, quo quis armis deiceretur: de eo accipiendum est, cujus jussu & nomine dejectio facta est: vel & eo, si adversus ipsum dejectorem ob fugam vel inopiam &c: actio deficiat, & in ipsum, quod dolo malo fecit, dirigenda sit.

111. Quinta differentia, quam & DD. passim ex d. l. i. §. 43. assumunt & ita extendunt, ut ne vasallo quidem contra dominum ex unde vi Interdictum dent, nisi vi armata & publica dejecerit, elenchio *ἴης ἀγροίας*: ut & dicta prætenfa contradictio: Quippe quod ea sit Jcti mēs & sentēria, per se & v. simplicissima. Quod Interdictū hoc, utpote quod in vim vel armatam vel saltem atrocem, & contra bonos mores militantem conceptum, est propter facinoris ceu facti atrocitatem non facile sit dandum liberis, libertis, subditis, in parentes, patronos, magistratus &c.

fit

112. Per rationem : quod hi juris præsumptionem præ se habeant, quod nihil nisi juris vel officii sui gratiâ facere videantur ; & si forte ad vim aliquam processum sit, id vilicita & quotidiana factum censeatur : *l. Injuriarum 13. §. is qui Iure ff. de Injur. l. 2. C. de off. Civ. lud. l. 17. l. pen. & fin. C. de his qui accus. non poss.*

113. At vero, si doceatur, parentes, patronos &c. vim armatam vel atrocem adhibuisse, eâque dejecisse, Interdictum omnino competere : per ead. & *text. in l. si meminerint C. unde vi l. prohibitum l. defensionis C. de Iure fisci.*

F I N I S.




Ka 1650


ULB Halle 3
005 137 276



me
VJ 17







Farbkarte #13

B.I.G.



22

T. ff.

ARMATA
PARADOXÆ

INGULARES
RÆ,
bus
OVAN,
DE

ROFRI-
OJC. ILLUSTRIS-
DOMINI, DOMINI
LANDGRAVII &c.
lyta Acad. Giessena
inario, præcepto-
è colendo,
pondebit
rone Mindanus.

SÆ,
RUS CHEMLINUS.

M. DCX

